Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1821
Quelle:
Copyright:

delis deuocionis obſequium. Quantum luna ceteris ſtellis eſt lucidior &c. Ita praefatur *Philippus* hic ad latinam ex Arabico verſionem *Pſeudariſtotelis ad Alexandrum M. de Secretis Secretorum*, cujus Exemplum retuli *Vol.* I. P. 2. *col.* 2099. iſta tamen Praefatione carens. Ait in hac: *Cum apud antiociam vobiſcum eſſem repertam hanc precioſiſſimam phyloſophie margaritam placuit veſtre dominacioni ut transferrem de lingwa arabica in latinam.* Verterat porro e graeca in chaldaicam, indeque in arabicam, *Johannes* quidam *Patritii* filius, ut praefertur; ego vero Arabis cujusdam foetum puto. Quae inſunt, edifferuit *Mich. Neander* in *Erotemat. Ling. Hebr.* p. 558. quae legi etiam poſſunt in *Fabricii Bibl. gr.* L. III. c. 6. p. 168. Impreſſum extare Opuſculum, jam dixi *l. ſupracit.* Quid monſtro vocis *Bindoiacone* faciam, neſcio; reperio tamen Epiſcopum *Tripoleos Syriae* nomen ſuum a B. ordientem, ad quem in Cruciatarum negotio literas dedit *Nicolaus* IV. a. 1289. Clauſula Codicis eſt: *Completus eſt tractatus de ſignis naturalibus hominum ad regem magnificum allexandrum qui dominatus fuit toti orbi dictus monarcha in ſeptemtrione.*

DCCLVIII.

R. 2225 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. 8. nitide exaratus, literis quibusdam initiorum picturatis, quarum prima Autorem habitu Ordinis ſui exhibet ſcribentem, et olim Bibliothecae Epiſcopat. *Neoſtadienſis* praemiſſis quibusdam de Examine Confitentium inſtituendo alia manu adſcriptis hunc Titulum praefert: *Incipit ſumma fratris borcardi de ordine fratrum predicatorum*, et ad calcem habet: *Explicit ſumma de penitentia fratris brucardi theotonici. de ordine fratrum predicatorum.* Vides Autoris nomen ne apud eundem quidem Librarium conſtare, quid mirum, ſi apud diverſos *Burchardum*, *Boucardum*, *Brocardum*, *Buchardum* legas. Cum *Teuto* fuerit, et *Argentinas*, ut in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 466. dicitur, *Burchardo* adhaerendum videtur. *Summa* ejus conſtat *Libris* IV. diviſis in *Capitula*, quorum Elenchus ad extremum adjunctus eſt. I. incipit *de Simonia* ita: *Simonia dicitur hereſis non quod ipſe actus ſit hereticus* &c. II. initium eſt *de Homicidio.* III. *de Bigamis.* IV. *de Sponſalibus.* Opus copioſum, utut ſuccinctum, quod miror prelum evaſiſſe. Exemplâ V. *mſs.* excitat *Quetifus cit.* His ſextum noſtrum accedat.

DCCLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 242. 4. bene perſcriptus, et rubricis enotatus hanc in ora inferiore p. 1. Notam offert: *Iſte liber qui dicitur antonina eſt monachorum congregationis ſancte Juſtine de padua deputatus monaſterio ſanctorum Seuerini et* R. 52